



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

B. Jacobus Alemannus Conf. 11. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

lis faciem Domini. Ipse Dominus JESVS ait, Beati mundo corde: ipsi enim Deum videbunt. Adver- tis, quid à te exigatur ut videas Deum? Emunda igitur cor tuum. S. Ambr. in Ps. 118.

B. JACOBUS ALEMANNUS CONF.

II. Octobris.

FELIX, (si quidem norit hodie bona sua) Ulma Suevorum JACOBVM nostrum peperit, & præbè educatum Romam ad DD. Apostolorum limina supplicem misit. Româ Neapolim hic abiit, & ab Alphonso rege militiæ adscriptus, nullum hostem quàm prædam fugit. Quare illa demum castra placuere, quæ non aliena raperent, sed suis se spoliarent: id quod ipse etiam fecit, cum Bononiæ ad D. Dominici signa transiit. Hic ille boni militis partes omnes implere, primus semper ad ducis nutum, portarum animi, oculorum inquam, vigilantissimus custos, & flammæ hostiles casto animo injectas suffocare illicò doctus, sanguinis recordatione à Christo fusi. Jam arma (preces) numquam posuit, primo mane omnes Divorum aras veluti stationes militares obiens & semper à castrorum acie Virgine auspiciam sumens. Quid jam mirum, si miles noster dæmones fustibus pugnantes risit, præsertim quando cum pugnante, Angeli visi pugnare? si Cyclopem infernum sibi infestum cruce prostravit, & eadem corvorum Stygiorum agmen fugavit? Quid? quòd & insidias structas Reipublicæ ab orco detexit. Ad D. enim Antonii tumulum cum lætantes dæmones spectasset, & triumphum adornantes ob futuram alterò die inter cives cædem, medius preces suas interposuit, & civibus pacem, orco pro triumpho luctum peperit.

Fuit

Fuit cum ad hortos Elysios avolans ea oculorum spectacula habuit auriumque illecebras, ut irasceretur illis, qui eum avocarunt. Ne igitur quiscquam molestiam revocando faceret, morte illuc non rediturus abiit. *Ex Surio.*

Quisquis es, qui divini luminis illustravis splendore, senti q̄ ad contemptum mundi provehi, à Domino præsistum noli tibi spernere donum, noli obsurdescere aperire pulsanti. Surge ocyus, & te volenti erigere manum porrige. S. Laur. Just. de Cont. mund. c. 19.

S. MAXIMILIANUS EP. M. 12. Octobris.

MAXIMILIANVM, quo cive Pannonia, Austria patrono gloriatur, parentes nobiles Celeiæ genuerunt, lactarunt Gratia, Musæ eduxerunt. Talis, inquam, MAXIMILIANVS dignus cælo visus est, quem in suas partes pertraheret; & verò facile ille obsecundans meliora suadenti, hereditate suâ (quæ opulenta ei erat) ultrò egenis cessit, divitem se ratus, si centuplo amplius liceret sperare. Jam honoris etiam umbram cum fugeret, inseguta tamen hæc virtutem, Laureaci mitrâ sibi devinxit, & in solium reponentem extulit. Hoc deinde cum furia Decianæ deturbassent, Romam abiit; mox tamen Xysto II. Pont. Max. auctore rediit, & viginti ipsos annos munere suo cum summâ laude est functus. Sub hæc in mentem venit, patriis etiam terris operam suam locare. Et forte Evila-sius illic Prætor Christianam pietatem oppugnatum ibat. Tanto amplius festinandum sibi ratus illicò advolavit, & suppetias laborantibus in tempore tulit. Sed dum in primâ fronte acrius pugnat, inter primos gladio cadit. Post hanc tamen tam nobilem Hostiam propitia victoria semper post-
ea